

leriano interiit. Item, sicut in cronica Ieronimi ¹⁴³⁾ invenitur, Liberius papa usque ad secundum annum Valentiniani et Valentis imperatorum durans obiit. Item penultimo vite sue anno Honorius imperator post decessum Siricii pape cum duo simul electi essent, scilicet Eulalius et Bonifacius, remoto Eulalio Bonifacium papam in sede Romana confirmavit. Item Gregorius primus papa secundo anno Foce imperatoris indictione VIII. migravit ad Dominum. Item anno Domini DCCC. indictione IX. Leo tercius sexto papatus sui anno in die nativitatis Domini Karolum regem Francorum coronans imperatorem Augustum appellavit. Item anno Domini MLIII. Leo nonus, qui prius Bruno, obiit XIII Kal. Mai. anno XV. Heinrici tercii imperatoris. Denique anno Domini MCXXX. indictione VIII. obiit Honorius secundus papa CLXIV. anno Lotharii tercii quinto.

Nachdem Heimo die Zeiten zwischen den einzelnen *termini* untersucht hat, faßt er ¹⁴⁴⁾ zusammen:

Recolligamus ergo summatim singulorum terminorum annos gradatim a primo per medios ad ultimum et videbimus, quam pulchre et votive ¹⁴⁵⁾ convenient anni Domini et anni Romanorum imperatorum ac pontificum. Etenim a XV Kal. Febr., ubi primum exactis a dominica passione XII annis IX mensibus XXIV diebus Petrus apostolus Rome pontificalem insedit cathedram, usque ad V Non. Mai., ubi Alexander papa quintus ultimo anno Traiani passus est, colliguntur anni LXXIII menses III dies XVII; totidem etiam anni defluxisse a quarto Claudii anno usque ad ultimum Traiani probatur per annos urbis condite et olimpiadum et per annos Domini, in quorum XIII. iam fere exacto, ut diximus, Petrus Rome papatum suscepit, et LXXXVI. Alexander papa passus est. Item a V Non. Mai. passione Alexandri usque ad VIII Id. Aug. passionem Sixti secundi pape XXI. colliguntur anni CXXXIV menses III dies V; totidem quoque anni inveniuntur ab ultimo anno Traiani, qui est CCXXIV. olimpiadis secundus, usque ad finem Decii, qui interiit olimpiadis CCLVII. quarto anno. Item ab VIII Id. Aug. passione Sixti usque ad VIII Kal. Oct. obitum Liberii pape XXVII. colliguntur anni CXIII mensis unus dies XIX; totidem anni inveniuntur ab interitu Decii usque ad secundum annum Valentiniani et Valentis imperatorum; etenim anno urbis condite MVI. Decius interiit et Valentinianus cum fratre suo Valente anno urbis condite MCXVIII. regnare incepit. Item a XII Kal. Oct. principio

¹⁴³⁾ Ed. Helm, Die griech.-christl. Schriftst. 47, 244.

¹⁴⁴⁾ C. 9, fol. 79 ff., fehlt A.

¹⁴⁵⁾ = erwünscht.